

1  
Eliæ Nukrois.

PALINODIA

Ad Panegyricum

In laudem

Serenissimi Principis

GUSTAVI ADOLPHI

&c.

Illustriss. ac Reuerendissimo Domino;

D. IACOBO ZADZIK

EPISCOPO CVLMENSI ET PO-

MESANIÆ, MAGNO REGNI

POLONIÆ CANCELLARIO.

D. D.

AVGVSTÆ TRINOBANTVM.

ANNO 1629.

8209





2

Illustrissimo ac Reuerendissimo Domino;

D. IACOBO ZADZIK  
EPISCOPO CVLMENSI

ET

POMESANIÆ,  
Magno Regni Poloniæ  
CANCELLARIO.

Elias Nukrois

S.



Olemne erat, atque vsitatum olim apud Rhetores, vt in vmbra illa palestra, quam Academiam vocabant, quædam sibi, quantumuis ab omni aliena conceptu, Dialectice in vtramque partem disputanda proponerent, seu diserta ex Cathedra oratione laudarent. Hinc muscas, aliaque huiusmodi apud Græcos; & recenter apud Italos Poetas Scabiam, ac pestiferam luem laudatores inuenisse non ignoramus. Quod vero aliis pestifera lues, Scabies, Muscæ, id mihi Gustauus fuit, quem equidem, studiosus adolescens, nonnisi ad ingenii exerci-

A 2

tationem

rationem, quominus ab omni laude alienum, laudandum primo mihi proposui, postmodum accusandum. Sed nescio quo facto geminus iste partus disparem fortunam inuenit, ut scilicet, qui magis lucem, ac vitam merebatur, in tenebris delitesceret, quem vero libentius occidisset, is veluti naturæ monstrum, siue Pigmæus aliquis, sui nouitate oblectando aspicientium oculos, faciliorem ad Regiæ aulæ, me inuicem, aditum fidi faceret. Penetrasset adhuc ulterius animaduerto ad manus Domini mei clementissimi Cancellariæ tuæ Regentis, cuius pane, ac scylo, qui disertissimi Pontificis iudicio toto orbe singularis est, non inficior, me diutius in ista Aula ad eloquentiam efformatum, atque enutritum. & quamuis huiusmodi plane Monstrum nullam penes ipsum gratiam inuenerit; gratulor tamen, quod in ipsa deformitate eloquentissimam eius confutationem prouocarit, miraque illa sui claritate ad Solem nata, cum male prolata corrigit, scyllum sincere laudarit, aliquid a sua eloquentia deriuatum agnouerit, denique imitantis ingenium, quod mihi propositum erat, non contempserit. Gratulor etiam, quod eruditissimi Borasti ferax ingenium euocarit in campum, ubi singulari conceptuum apparatu, exquisito verborum cultu, segete sententiarum amplissima (visitata Aristoteli forma acreomatice non ad vulgus scribens) cum Gustaui Suetiæque fucatas laudes laudatissima illa Censura deprimit, eiusdem Suetiæ veram gloriam in se vno penes doctissimos quosque feliciter extollit. Porro hæc qualiscunque fuerit Palinodia (melius sane, quam ad Oxensfernium infelix illa Panegyris) ad te properat Senator amplissime quem si breuiter dixero (neque enim hic laudationis tuæ campus est) studiorum leuamen, Amorem Militum, Delicias Aulicorum, Nobilitatis columen, solidam Republicæ Columnam, firmum Regiæ Maiestatis propugnaculum, minimam tuarum laudum partem attigero. Sane in te vno, moles illa regnandi, calamitosi hisce temporibus recumbit; atque a te vno pendent vniuersi, ut pote qui ex vna parte Sapientissimis Regem consultis ob prudentiam omni tempore spectatam, ex altera acquisita penes Nobilitatem om-

8  
nem, per benevolentiam fide, totam Rempubl. seditionibus laban-  
tem firmare, & contra infestissimum hunc hostem, potentissime  
Nationis glorie, ac laudibus per astum, ac fraudes inbiancem, fa-  
cile permouere, eumque pessundare solus valeas. Vale interim Rei-  
publice felicitati eternus, meque Lipsio tuo, stylo plusquam  
Lipsiano a Pontificibus commendato, ac Gro-  
chovio in gratiam repono.



# PALINODIA.

**M**iraberis sane Princeps, quod post diurnam tot Annorum rebellionem, siue Paternam, siue tuam ( in ea enim, non in Regnatrice Domo natus, altusque es ) notum Orbi facinus, quod penes amicos etiam, nonnisi vel initiorum obliuio, vel sceleris diurnitas excusat, exprobare nunc primum tibi aggredior, teque in amplissimo Regum, quotquot Christianæ Reipub. præfunt, teatro, immo & Hollandos tuos Rebellatium Principes, Rebellionūq; omnium auctores, fautoresq;, quos tantopere facis, accusare. Infederat animo concepta iam pridem opinio, te, qui humanitatem quandam æqui, rectiq; tenacē ac populo speciosam vbiq; liberaliter ostēdas, quamquam adhuc aliqui diuinitatem tibi, nonnisi vulneribus atq; ipso demum medentis digito exploratam falso tribuere ausi fuerint, tantū iustitiæ causæ, tantum sanguini daturū vt orbis vniuersus animaduerteret, plus ponderis apud te honorificam cum fratre pacem, quam longa male parti Regni spatia, ac fines amplissimos habuisse. Verū elegisti iniquus sceleris hæres defectionem mille fraudibus incæptam, nouis fraudibus propagare potius, quam à Paterna hæreditate honorifice discedere. Non ita sane si Politicus es, quem te facis, apud Tacitum laudatum inuenies Tiberij Nepotem, qui à tumultuante Milite oblatum, non quidem Suetiæ, at totius orbis Imperium non respuit modo, sed euaginato etiam ferro morem sibi met potius inferre minabatur, quam inaudito sceleri

PALINODIA.

4

sceleri consentire. Nunc vero peiorem Patrum inuenimus, qui pacatum Regnum, suoq; Regi obsequentissimū per ambages tumultu replet, suspicionibus armat, Nepotem deniq; innocentissimum sceptro exuit. Exemplum solummodo afferre poterat Parens tuus Ludouici illius Sfortiæ Dinastæ apud Italos non contemnendi, qui pari solertia, nec dispari audacia dominatū Nepoti eripuit. Verum si eiusdem filiorumq; infelicem exitum mox subsequutum pro parente respicies, dices Deo vindice datum, vt eiusmodi germen tanto crimine sædatum in Regum carceribus, quos ipse sibi auxiliares vocauerat, cum suo stipite marcesceret, nec ad Nepotes vsque progrediretur. Neque vero teq; nomemq; tuum vltro progressurū speramus, cum eam tibi mentem datam agnoscimus, vt nequiequam facturū sis, etiam si Suetiæ Regnum, per te Gustauiano generi ereptum, siue ad exteros, siue ad subditos tuos indigne deueniat. Colorauerat Parens tuus nouum belli motum in paterno Regno, ac si illud absente Rege destitutum, atq; in medium occupanti relictum foret. Hinc post falsas criminationes Nepotis obitum spargere, Religionis exitium populo comminari, aliaq; passim effingere, quæ ad sui causam prodesse. Deliberatum adhuc per sexennium an Regis titulum sibi assumeret, neq; ausus foret, nisi studio, ac pollicitationibus concitato populi plausu ad id vocaretur. Tu vero vsurpata Suetia minime contentus, quasi sanguinario ac prædoni omnia liceant, & cui, quo plus audet, plus laudis accrescat, adhuc in libero Regno, in quo non nisi tuis fraudibus notus nullo quæsito colore, sed aperto scelere grafaris. Scio te simulata quadam pacis petitione infesta arma excusare, solitum. Verum quam subdole, quam astute:

astute? quasi verò credendum sit, qui fratrem imparatum, vel cum immanissimo totius familiæ hoste manus conferentem, à tergo aggreditur, & expoliat, pacem ab eo sic petere. Enim vero cum Turcarum Tyrannus immanissimus totius Christianitatis hostis fratrem à fronte oppugnaret, tu cum eo fædus ferire tuum sanguinem, Christianam illi Religionem proderere non erubisti. Sic Rigam, & Liuoniam; mox Prussiam, speris quadriennialibus, quas pepigeras, inducijs, & ementita, quam Cognato Principi dederas fide, occupasti. Hæc tuæ gloriæ semina hæc tuæ fundamenta fælicitatis, quæ sicuti fædi fragum, Christianæ Religionis desertorem sapiunt; ita nonnisi recenti Lutheri superstitione suffulta penes ignarum vulgus fucam faciunt pecunias ab eo corradunt, exercitus impetrant. Hinc demum patet ex Hollandorū schola fecerū, facinus quo magis atrox, factum quo magis impium, rebellionem quo magis claram nonnisi vel huiusmodi superstitionis fucis colorari vel ab alienatis à Rege subditorū per Religionem animis diu ferri ac sustētari posse. Si enim Prouinciæ integræ ab Anglorū Rege deficerent, nec Lutherus aliquis, siue Caluinus, qui somnia sua tumultuanti populo persuaderet, denuo præsto effect corrueret illico tumultus, proditoresq; omnes vbiq; haberi, & auxilijs destituti latronum more suspenderentur. At vero deficiunt à suo Rege confæderatæ Hollandorum Prouinciæ Dauentriensi, Campensi, Zuollensi. am icis vicinisq; Ciuitatibus Imperij libertatem auferunt: fidem adimit Geneva Sabaudis: Germania tota proditionibus exæstuat: Tumultuat Gallia: Carolus iurato Principi suo rebellat: Elbinga nuper hosti ultro portas aperit; & tamen Luthero, & Caluino patrocinantibus, tanquam vere libe-



5

PALINODIA.

ræ liberatis assertores, coronas sibi pro meritis imponunt, atq; in proprio scelere triumphant vniuersi.

Laudaris alicubi quod Regem plurimis circumqua; victorijs inclitum, gloriosissimumque ad tui famam oppugnandum elegeris: Regem inquam cui Turea supplicat, quem Tartarus timet, Moscus tremit, mundus suspicit. Qui sub ipsis Regni initijs æmulam virtutem ad Occidentem deuicit, captiuam habuit, liberaliter dimisit. Qui parentem tuum ad septentrionem in ipsa Suetia proditionem, quæ postea erupit, ac scelera meditantem Polonorum virtute detentum, trepidantemq; hilari vultu excepit, benigno dignatus amplexu, atq; amice pro innata sui facilitate in gratiam recepit. Qui proprium Regnum ad sæditionem pronum, constanti plurimorum fide, non exterorum auxilio, ac mira sui clementia sæliciter composuit; eiusque primarios authores deprecantes ad pedes vidit. Qui Moscum ad Orientem conculcauit pænitus, de eoque post currum ducto, Romanorum more, triumphauit. Qui Christianorum Cæsaris potentiam, suorum rebellione pæne collapsam, sælicibus submissis auxilijs magna ex parte restituit. Qui Tartaros deleuit sæpius; Chamumq; ac fratrem vitam deprecantes in sinu excepit. Qui Turcarum Tyrannum ad Meridiem cum totius Asiæ, Africae, atque Europæ viribus, & omnimoda sui potentia fines ingredientem, a parua suorum manu multa clade affectum, sola proprii aduentus fama, inglorium retrocedere, quod nemini vnquam Christianorum contigit, coegit. Regem oppugnans, qui procera illa sui, vere Regia, & ad venerationem composita præsentia, supra cæteros Christianitatis Principes, intuenti apparet adorandus in terris. Cuius venustissima facies seueritatem

P A L I N O D I A.

aliquam induit, pientissimus animus omnem excludit. Cuius in gressu grauitas, in congressu facilitas. Qui in audiendis aliorum consilijs patiens, in eligendo diuturna quadam regnandi experientia, prudentissimus. In deliberando cunctator, in propositis firmus. Mansuetudinis cultor, iræ nescius. In templo plusquam Religiosus, vbi que pius. Iustitiæ norma; singulare demum pietatis, ac virtutum omnium ornamentum. Regem denique oppugnans, in quo cum potissima regnandi pars sit amplissimos Reipubl. thesauros abunde cuique partiti, nil accusare valeas præter beneficentiam. Sed impiam sane laudem quæris, quæ á gloriosissimi Regis, immo fratris deiectione incipiat; nisi forte cum celebri illo Ephesini templi succēfore, dummodo famosus in aliena ruina multiplici plurimorum luctu pereas, mortem eligas oppetere quantumuis indecoram. Quin potius si cum tanto Rege de gloria certare animus est, virtutibus virtutes opponis, triumphis confers triumphos; neque enim insignis latro, ex eo quod Herculem vaccarum latrocinio perbelle deceperit, supra Herculem venit laudandus. Sed video te, noctilucam ad Solem, vix proposita comparatione vilescere. Gloriaris tamen, vidisse te, nec reformidasse imensa Polonorum castra; cum scilicet vespertina illa tui Militis ad Derfauiam emissionem, per Galileianum tubum, exeuntium nostrorum pectora, veluti noua sydera, mortem tibi, vel subsecuta, mox vulnera minantia, es contemplatus. Admirabaris hastatos equites, conspicua Nobilitatis arma, insignes equos; caligabant oculi ad splendidum apparatus, & fastum vocabas, mirabilem illam tui, tuorumque despicientiam. Fatebaris profecto gentem esse campis, hastis; equis, corpore validam, armorum e-

rum exercitatione fortissimam, animorum ferocia terribilem, atque Orbem integrum, teque in ipso (nisi tuis foueis intra centrum oclusus sapius prudenter abesses) debellaturam. At vero aderat solummodo in castris officiosis euocata literis, non vili inuitata stipendio, copiosa Aulicorum multitudo, quorum vnus anima, plusquam tota licet armata tuorum rusticorum turba valebat. Ecquid si Nobilitatem omnem vnanimi decreto paratā, immensa camporum spatia occupantem, quod alijs huius Reipubl. hostibus suo periculo contigit, vidisses? Hos sponte sua armauerat incredibili celeritate, Mensis vnus spatio, Regius nutus; vt scilicet Nationem illam, quam effrænem putaras, obsequio erga Reges insignem diceres, disceresque equos, quo generosiores, a perito Magistro simplici filo duci. Sic plane in huiusmodi effusæ Nobilitatis obsequio triumphabat Rex, cum deerat aliunde te, recedente triumphus. Interim opponebas equitibus equites, eos scilicet, quos equi quantumuis strigosi è rusticorum, vel aurigarum stabulis abstracti, per rapinam, nobilitarant. Ostentabas pedites fame, ac fumo, cui per autumnalia frigora seminudi plurimum incubabant, sordidos, inducta macie, squallidos, atque torpentes. Mirabamur abiectis armis, ligones datos ijs militibus, quos abiectis ligonibus ad arma, ad signa vocaueras, terramque intentius vertere, foueas deprimere, aggeres eleuare, quos credideramus, ex agris abductos, ad pugnas, ad cædes, ad conflictus tot annorum studio, te docente, assuetos. Siquidem legimus in historijs Sfortiam magni nominis virum in Italia abiecto olim ligone, cui adoleuerat, viam sibi per arma ad gloriam, filio ad Principatum patefecisse. Tu vero depositis armis, resumpto ligone, Militibus

P A L I N O D I A

tibus ad victoriam, cum non vincerentur, tibi ad Principatus aditum fecisti. Enimvero extemporanea illa Militis emissione contentus, Classicum receptui canere, Militem recedere, castrorum caueis illico se obtrudere, iussisti. Sic Polonorum elusa potentia; sic demum vicisti, triumphasti; si vincere, si triumphare est, certam victoriam aliorum è manibus tuis ligonibus eripuisse. Verendum tamen est, ne quemadmodum Rustica hæc tuorum Militia, longo tot cladum studio edocta, tandem inuictò Polonorum robori huiuscemodi ligonibus remoram aliquam inuenit; sic demum Poloni per tot fraudes elusi nouis artibus ad valla, ad aggeres quantumuis inaccessos sibi viam faciant, ferroq; perrumpant. Nil etenim vel generosis conatibus difficile, vel inuictò robori imperuium.

Verum gentem oppugnans, quam noueras fraudibus magis, quam vi patere; ideo fraudes adornabas, & quomelius dolos concinares, Regum, Rerūpublicarum, Amicorum, Cognatorumque Principum fidem, quam falleres, sæpius implorabas. Audiueram turpe, atque indecorum esse ei, qui Militiam sanctè colere prædicat, si sub amica pacis tractatione bellum apparat, credulum hostem exarmat, inermem aggreditur, cædentem euitat, vadat flumina, Ciuitates occupat. Tu vero quod turpe in alijs, atque inhonestum; tibi reputas maximè gloriosum. Vnde est quod laudator tuus in te vno prolixè exaggerat, dolum, fraudèque fortitudinis (melius dixerat formidinis) sanctitate egregie fuisse temperatam. Egregium vere, sanctumque temperamentum, vbi fraudes vbique, etiam apud Barbaros detestandæ, neglecta fides, impium cum infidelibus fœdus, indigna fratris, vel fraterni Imperij oppressio, extrema, ac pudenda inter mortales vitia,

cum

cum supremaram virtutum sanctimonia, locum habere posse creduntur.

Nec sic aqua diluunt Hispani, cum vinum bibunt.

Tu igitur cum Turcarum Tyrannus suam in Polonos potentiam effunderet, eosdem occupatos, & ad meridiem conuersos, ex alia parte, nimirum á tergo, proditorie es aggressus; & securos, per Angliæ Regem quietem pollicitus, circumuenisti; submissa demum ab eodem Rege, contra communem Christianorum hostem, Fratri tuo, Christiano Principi, auxilia, in Dania (dante amico Rege, qui Legatorum etiam sacrosanctum ius violare tentauit, tuis fraudibus, dexteram) impediuisti. Hæc sunt tormēta, hi cuniculi, hæc armorum vis, qua egregius Urbium expugnator Rigam Ciuitatem in primis munitissimam, & Liuoniam in tuam potestatem redegisti. Patere vt inter Christianos Reges tua causa agitetur, an scilicet pro tanta Victoria triumphus, an Ouatio tibi sit decernenda. Ouationem quidem arbitror haud difficulter impetraturum; si tamen Ouationem intelligas puerile illud spectaculum, quo in plurimis Hispaniæ Ciuitatibus publicum Latronem humanam solertiam, huiusmodi doli mixtura polluentem, Asino impositum frequenti ouorum, quæ ad caput allidunt, grandinatione, consalutant.

Tot fraudibus, tot Machinationibus iam totus insudaueras, cum biennales inducias, vt miles quiesceret, pepigisti. Easdem postmodum, necdum absterfo sudore, ad biennium prorogasti, relicto ad alias inducias, ni bellum ex alterutra parte indiceretur, nimirum tuis fraudibus, loco. Hinc solutis Comitijs sub certa fide inducias, tecum sanctè á nobis seruatas, ad biennium adhuc duraturas, Liuoniæ reliquum, ac Lithuaniam inuasisti. Inuenisti Mi-

PALINODIA.

ſti Militem inermem, theſaurum exhaustum, gentemque  
 vniuerſam, peſtifera lue mirum in modum graſſante, vbi-  
 que confuſam, atque diſperſam. Oppoſitus tamen illico  
 iuuenili tuæ temeritati SAPIENTISSIMUS Senex, qui par-  
 uo quantumuis exercitu tuam cunctando inſolentiam,  
 intra fines continuit, & continuiffet, niſi cum magna No-  
 bilitatis parte ad Comiticia reuocatus, tenues copias Filio,  
 quem tu ter numero ſuperior oppreſſiſti reliquiſſet. Hu-  
 iuſmodi tamen clades, non Lithuanorum ductoribus, ſed  
 tuorum ruſticorum multitudini, & noſtrorum militum  
 tenuitati, ex nimium tibi credita per inducias fide, impu-  
 tabatur. Ibit enim adhuc laudata per omnes ætates, fæli-  
 cium grauida Ductorum Lithuania, quæ nuper edidit Ma-  
 gni nominis Chodkieuicium, vere Moſcouiticum, Sueti-  
 cum, Turcicum, utpote qui captiuato Moſcorum Mo-  
 narcha, ipſoque parente tuo paruis copijs ad Kircholmi-  
 um turpiſſimo fugato, tandem emori pulchrius, ac glori-  
 oſius ſibi putauit, vbi Turca cum ingenti exercitu plane-  
 victus, de incolumi ſuorum reſeſſu trepidus paciſcebatur,  
 quam ad minimum quantumuis ſupremæ ſuæ gloriæ oc-  
 caſum ſuperuiuere: maluitque propterea triumphare in  
 Coelis, Coeli, Religionisq; deſenſor, cū materiam trium-  
 phi ampliffimam, partita Victoriæ laude, C. Lubomiſcio  
 reliquit in terris. Nec Lithuanicæ, ut putas, auolarunt  
 Aquilæ, ſed euolarunt, nempe in altum, vbi ſuſpenſo tan-  
 tiſper volatu, te colubrum Septentrionis immaniſſimum  
 diligenter obſeruant, ut ſi quando caput è caueis, in qui-  
 bus latitas emiſeris, vnguibus extractum, terraque vnde  
 tibi nouo Caco, veteri latroni vires creſcunt, eleuatum,  
 miſere diſcerpant. Atque vtinam ſemotis aliquando ni-  
 gris, quæ volatum impediunt, nubeculis, mutatiſque ex  
 frater-

fraternæ Religionis candore pennis, huiuscemodi Aquilas inuidis adhuc oculis aspicias, pari virtute, nec degeneri gloria, late explicantes alas, Maiorumque suorum, decora imitantes, superantesque. Viuit etiam, viuetque diutius ad tui perniciem cælitus reseruatus, Militaris ille vir, cuius familia, quam heri in Lithuania natam reputas, præter noua decora sibi in Moscouia fælicissime parata, adhuc insignioribus Veterum Romanorum monumentis incedit superba. Hunc vero, quem nos Romanæ virtutis germen gloriosissimum in his oris admiramur, nisi tu Coruinum, nisi M. Liniu adhuc paucorum inuidia silentem, saltem Claudiu ab Asdrubale olim ad syluæ saltum in Hispania tractatibus elusum, mox ad Senogalliam elusoris ruina triumphantem experiare.

Iam vero iisdem fraudibus atque artibus, quibus olim in Liuonia pollicitationes Angliæ Regi factas, fidẽ Cognato Principi datam (infirmum periclitantis Prussiæ præsidium) fallebas; miseram Prouinciam infestis armis intrabas, ad deprædandandam potius rusticorum, Ciuiumque in opulenta Prouincia supellectilem; vt sic alienis diuitijs stipendia militi persolueres, quam vt Polonorum decantatum robur, vt profitebaris, relictis Lithuanis, experireris. Et quoniam ardua res magnum consilium, ingentem virtutem, singularem dexteritatem, maximos apparatus, Martemque non inertem flagitabat; ideo viros tibi similes, qui notis fraudibus prodiciones necerent, nonnullorum animos ingeniose disponderent, trepidantes confirmarent, dubios ad rebellionem compellerent, loca demum tuis caueis aptiora explorarent, præmisisti. Sic decorant fortem fortia, fraudes fraudulentum. Inuasisti postmodum Prouinciam longa pace fælicem, exinde nullo ope-

PALINODIA.

lo opere, nulla arte á centum annis munitam. Inuenisti Nobilitatem non quidem bellorum oblitam, aut ignaram Militiæ, nec dulcissimum Poloniæ Imperium, quod alibi summa libertas esset, molestum habentem, seu demum pacis, aut tranquillitatis nausea vicinæ Germaniæ calamitatibus inhiantem; sed, vt fieri solet, repentino casu stupidam, & dum ab Aula quæ longe aberat mandata expectat, confusam. Tu interim maturare iter, occupare, Pillaiensis freti angustias, absque sanguine, absque sudore, cum nullo, nisi malæ creditæ fidei propugnaculo, firmaretur. Non tamen ab Aurora vesperam omineris; sæpius enim vidimus solem in ortu clarissimè elucentem, in occasu nubibus, nebulaque suffusum coelo pluuio pallescere. Memineris Annibalem tot Consulum Romanorum cladibus illustrem, vbique in Italia insultantem á Romanis armorum prope pondere oppressis, non bidui spatio, sed sexdecim per annos fuisse toleratum; mox declinante fortuna, vnius Scipionis virtute ex Italia reuocatum, victum in Africa, dedita classe, subiugata Cartagine procul á patria exulem, ad Antiochum, hinc ad Prusiam Reges fuisse amandatum. Legi aliquando literas Camerarij tui, illius inquam, qui Palatino olim ad nouum, Regnum, mox ad perniciem, & miseriam Consiliarius exiitit exquisitissimus, quem tu post decantatam Domino suo de Boetij consolatione Philosophiam recedentem, quærentemque panem, tuorum apud Hollandos consiliorum participem, promotoremque fecisti. Hic inter occultos illos characteres, quos sæpius fælici Secretarij vnius Itali ingenio Varfaviæ explicatos vidimus, Scipionem Africanum te, & affectata quidem adulatione appellabat, quasi vero bellum tuæ Suetiæ imminens, celeri nauium traiecti-



traiectione; in alienas terras deduxiffes. Verum quam melius alter hic Principibus equus Seianus, quam meliori inquam comparatione Annibalem te, qui in militaribus fraudibus totus eras, aliena inuadebas primus, ac longa pace, exarmatos aggrediebaris, dixiffet? tamdiu vero in Prussia exultantem, donec emissus ex his oris nouus, qui modo filet (scilicet obfignandis Regiæ beneficentiæ litteris intentus) Scipio, gementem in Suetiam te reuocet, ubi comiffio prælio victū, patria extorrem non ad Prusiam Regem, sed è Prussia Amftelrodamum ad Hollandos tuos, Fridericum Palatinum veteri vaticinio consolaturum, pro ftipe vel ftipendio remittat.

Porro tetigifti Ducalem Prusiam, ac post sanctiffimas pollicitationes nemini damnum illatum iri, fare nunc an è feruitute exemeris, an in duram feruentis populi necessitatem redegeris. Brunsbergam subito timore correptam tentasti, ac pulueribus fortuito concepto igne, hinc suburbio per incendium sublato cæpifti. Elbingam nullis tormentis explofis; sed rebellantis populi acclamatione amicus intrafti; libertatem tamen omnem amicè, vel hostiliter abstulifti. Mariæburgum muliebri ftupore cadentibus animis Portas aperuit. Sic tibi Derfauia, Meua, Vormditum, aliaq; minora oppida cefferunt. En Martios labores tuos, en Militare ftudium, en fingularem ftrenue oppugnantis laudem. Verum fiste & enūmera fi pores Murales Coronas, quas tunc militi diuidebas, longas profer obfidiones, cæfos hostes recense, ostende vim vi alicubi propulfatam. Expauifti tamen imperterritus Dux paucorum Equitum conspectu ad Naiburgum, siue sola aduenientis Principis fama. Quid ferrum, quid Claua, si in vnius eiusdem Principis manu, Rege dante, fuiffet? Gedanenses

PALINODIA.

nenses interim spectatæ fidei gloria insignes, eaque ad æternitatis famam Nobilitati, prudentissimo consilio, nec longa deliberatione, neutralitatem illam à te propositam magis quam suaue Polonorum imperium, onerosam habentes, fortissimè recusarunt, teque urbium oppugnatorem, vbi Mindam verberare cepisti, haud amica tormentorum salutatione, plusquam celeri passu retrocedere coegerunt. Hinc nulla pecuniæ quantumuis immensi quantitate deterriti, copiosum militem conscribere, spatiosa valla delineare, ita vt quod integrum Regnum exhauriret, vnica Ciuitas breui vnius anni curriculo non tentarit modo, verum gloriose perfecerit. Hinc tuam tyrannidem cum dulci Polonorum imperio, pro quo sibi conseruando, tamquam pro suæ libertatis fonte, obstinate pugnant, confer. Etenim sub alis fouet Aquila, non premit suos, nec aliud nisi patrocinium sibi sentiunt Gedanenses, id quod tu falso reputas seruitutem. Fælix Ciuitas, cui licet non germinet Apuliæ fertilitas, licet aurum non pariant Indicæ Aurisodinæ, immensi tamen adeo ad eam confluunt frugum, ac pecuniarum thesauri, vt ex vna parte ingentem exterarum nauium famem, ex altera amplissimi Regni sola valeat explere desiderium.

Appropinquabant tandem Polonorum copiz, tormentaque sub Meua non ad deiiciendum murum, sed ad te è caueis ac latebris in campum eliciendum resonabant. Examinemus hic imperterritam illam tuam contra huiusmodi castra perseuerantiam. Sed relinquamus vulgi iudicium, quod sæpenumero à successus fælicitate, Ducis licet inconsiderati prudentiam metitur, remque totam sapientum censuræ permittamus. Enimvero patebit nullibi magis temeritatem tuam fuisse spectatam. Meuam primo per

17

mo per loca iniqua imprudentissimè accessisti, moxque à Polonorum armis plane cinctum atque interclusum cum te videres, an non fatebaris ipsemet si nostri ita paululum consistèrent si vallum quodcunque quantumuis demissum contra tuam fugam excitarent, vnica hora actum fuisse de tuis castris, de Milite, de Prussia, de te, qui iam intentius Vistulam, qua tranare posses respiciebas. Sed venit optata nox, quæ fugam tuam ita tuis oculis obscurauit, vt quamuis luce Meridiana clarior esset, perseverantiam diceres. Recedentibus enim ex confuso plurimorū consilio nostris euasisti, fregisti á tergo Pontem; ac Derfauiam retrocessisti. En diuinam illam prudentiam, ac portentosam tui fortitudinem. Redijsti post modum meliori consilio cautior, non fortior, & contra Polonorum vires vallum, atque aggeres excitasti, collem ad castrametandum elegisti. Ostentaueras iterato aduentu tuo animum alacrem, ac pugnae avidum, nostri vero alacriores campum ac planitiem tibi aperiunt, tu nostrum in campum recessum tuæ virtuti, tuæ gloriæ falso ascribere. Militem tamen semel è castris, non quidem ad pugnam sed ad ostentationem, sub vesperam emisisti, ac dum tractatibus solito astu tempus producitur, Vistulam, mox inde in Suetiam traiecisti. Egregiam sane laudem, & inuictū robur. Inunc & Gustauī triumphum ad Meuiam cane insipidus Rigæ vates. Pacis quidem mentionem feceras, eamque Oxensternio Cancellario tuo committebas, viro, arroganti suo fastu, bellum, non pacem promittenti, & qui quo propriæ pacis amantior, eo magis alieni laboris incuriosus alibi bellum accendere, atque ad sui commodum alere consuevit; adeo vt glorietur se Regem Elbingæ sedentem, Gustauum eius in Castris Campiductorem fa-

P A L I N O D I A .

Etum. Sic demum Polonos pacis mora per vnus hominis  
 versatile ingenium eludebas, eorumque alacriores cona-  
 tus inani tractatione remorabaris. Sed erit opinor, cum  
 sua ingenuitate fessi, ferrum euibrabunt, tibi que pacem  
 ex animo petenti, feroci armorum strepitu respondebant,  
 vel saltem cum Cancellarium tuum intra promeriti carce-  
 ris Cancellos longissime à castris, vbi tympana tractanti-  
 bus molesta sunt, conditiones pacis modestius propone-  
 re, vel examinare edocebunt. Leniuisti quidem adhuc  
 dulcissimæ pacis mentione, præsertim cum populo alienis  
 imperijs non inhiante, feroces animos, eosque paululum  
 sopiuisti. Senties tamen profecto, si semel Nobiles in v-  
 niuersum ad arma prouoces, longe diuersum esse cum  
 mercenario milite diurnitati temporis ad stipendiorum  
 quæstum inseruiente, ac cum integra Nobilitate, diuinæ  
 suæ libertatis osoris iugulum primo occursum celerrimè pe-  
 tente, rem habere. Nosces quid sit cum populo in liber-  
 tate ad libertatem nato, pro focis, & laribus, pro ipsa sui  
 libertate pugnante bellum gerere. O beatissimæ gentis li-  
 bertatem verè auream, verè felicem, quæ sicuti alibi con-  
 fluentibus plurimis vitijs stulticia esset, ac mole sua laba-  
 sceret: ita hic vbi perpetuo gentis candore sanctè culta,  
 sibi sedem fixit, atque ad vltimam tendit æternitatem.  
 Iure merito crediderim cælitus olim Septentrionalibus  
 his syluis datam; vt cæterarum nationum Principes fami-  
 liæ, prout de Romana Nobilitate circumfertur, huc tam-  
 quam ad amissæ libertatis Asylum, spretis deliciarum,  
 quæ alibi nascuntur illecebris, vera virtutis laude, ac sola  
 armorum gloria, secum adducta, contenti, confluerent,  
 sylvas excinderent, deserta loca excolerent, atque incol-  
 rum a.

PALINODIA.

tum aliarum gentium Dinastis, prout quotidie accidit, relinquerent ambitiose petendum.

Sed iam ad zudaciz tuæ fastum superbissimum redemus: Nam sælici rerum successu elatus, fortuna ebrius, ita triumphas, ac si Polonicum robur, victricemque vbi-que dexteram, quin & Cæsarem, & Principes omnes, immo Spinolam, Tillium, Valsenium, aliosque Martiales Duces, quos necdum vidisti, pedibus conculares. An nescis tuam istam gloriolam ex mero, & miro Polonorum contemptu ortam esse, qui dum te Muscam seu Halecem appellant, dum te mortuum credunt Auiculæ vulpeculam, dum vindictam ad aliud tempus pro arbitrio remittunt, occasionem tibi tuam augendi potentiam faciunt, a defensionem sui simul, & offensam negligunt, Prouincias integras rapinæ tuæ exponunt. Neque enim difficile, aut gloriosum leonem semisopitum iugulare. Et quamuis naues opulentissimæ Regionis diuitijs onustas non semel in Suetiam præmiseris; non ideo tamen semper Turnus Pallantis spolijs superbus incedes. Impiam sanè prædam, atque piraticam, & Pleminio dignam: siquidem aurea ex Altaribus vasa, è templis altaria, ex Monasterijs testa, ex cæmeterijs campanas, ex turribus horologia, & quidquid denique prætiosioris metalli incolarum pietas templorum etiam pulueribus insepeliuerat, ingenioso tuo erutum: gladio, quo sane melius, quam ad configendum vtebaris, ad æternam tui infamiam pro spectaculo abduxisti. A Gustavo illo tuo cæteroqui Magni nominis Rege, qui primus Suetiæ Regnum Danorum rabie pæne concisum, paruis inijtjs, singulari virtute restituit, sacrilegas huiusmodi direptiones procul dubio didiceras. Hic enim nihil ad æternam sui gloriam, nihil ad perpetuitatem familiæ, quod

PALINODIA.

quod desideraretur reliquit; nisi quod flagrantissimam illam Lutheranae sectae facem, incendia late vbique spirantem, non restinxit modo; verum suae genti accendit. Atque hinc profecto ardet, ardebitque diuturnum istud atque intestinum inter Nepotes bellum, pro quo si incredibiles consumptae pecuniae thesauros, si innumera pereuntium capita recenseret; videres quanti staret tua ista siue fratris oppugnandi ambitio, siue impia regnandi libido. Plorat tamen, quamuis ipse triumphes, suorum caedes, quae tibi adeo nunc deuota paret, Suecia, quod nempe ad explendam Parentis tui immanem dominandi sitim, sub ipsis tantae rebellionis exordijs, suae gentis late sanguis effusus, & quae Danorum rabiem euaserat, caesa Nobilitas, in cuiusque locum suffecta immerito Gallica propago, quam demum, si terra inuita sustinuit, Mare submersit. Sane ut arbitror nisi obstaret vesana Religio, coalesceret Fraternalis amor, ac regnaret vltro, qui fratri pareret (siquidem sub optimi Fratris imperio viuere regnare est) dentque Septentrio totus sub Gustauiana Domo plusquam modo magna Europae pars sub Austriaca late floureret. Enimvero mirum quomodo insanus hic impiae Religionis ardor, vnus Monachi ambitione accensus, Regna dissipet, Ciuitates diruat, familias diuidat, Patremque filio, filium parenti reddat odiosum. Sed humanis insita mentibus stulticia, ut constans, & obstinata rerum etiam vulgarij opinio adeo concipientem oblectet, ut illum aduersus contraria sentientes, ob minuta quaeque ad rixas, ad caedes inducat. Sic olim misera Italia insano Guelphorum, ac Gibellinorum nomine, plurimis adhuc inexplorata verborum significatione, diuisa, ob variam plumarum, capiti appositionem, ob diuersos indumentorum colores  
ad fan-

PALINODIA: 12

ad sanguinem, ad cædes suorum, trecentos per annos, infælici cæterarum nationum spectaculo proruebat. Comendatur idem Auus tuus in Suetria quod Monasteria carceres esse maluit filiorum, quam receptacula otiosorum. Sed ne cruciere, neque enim tibi deerit in Polonia, sicuti nec Strefio nuper, aut Tayfælio tuo pro huiusmodi carcere Monasterium.

Venio iam ad tristem illam absentiam tuam, qua Puccensem arcem, qua Megalopolensem Militem turpiter amisisti. Quoad vero Puccensem arcem, contemplare, strenui Ducis obstinatum tot mensium obsidionem, hyberna frigora in extrema Septentrionis parte à militibus tolerata, ingeniosa valla, atque aggeres à gente, quã tu nouarum, & meliorum artium rudem appellas, incredibili ausu adhuc supra marinam glaciem excitatos, suppetias denique à te submissas celerrimo occursum, atque insigni Victoria præpeditas. Profer tu parem, si potes, qui vix Gedanensem Mindam, vix vallum semel ad vistulam, vix Graudentum per diem tentasti, visoque resistentium vultu, pauidus recessisti. Mirè sanè progreditur, qui nulla inuenta vi, vel proditoribus vltro dudentibus sese, Arces occupat, Ciuitates suo adiicit imperio. Megalopolensis porrò Miles suppetias tuis auspicijs Puccensibus laturus, nostris vel numero par, vel superior fædis adeo cõditionibus est subiugatus, vt Victoria his sæculis inaudita, vexillis proprijs ad nostrorum pedes abiectis, deditis primarijs Ducibus, plusquam Caudinas pactiones ad oculos reuocarit. Secunda valli ad Vistulæ diuortium oppugnatione, diuiso præsidiariorum imperio, cum alter ad necessariam suæ Ciuitatis defensionem prudenter recederet, alter fortiter resisteret, non difficile fuit, minimam  
 copia-

P A L I N O D I A.

copiarum partem, quam tu totis castris aggressus eras, euincere. At remanet valde tristis prioris tuæ ad huiusmodi vallum oppugnationis memoria; cum scilicet ob singularem tui temeritatem, in obæso corpore, mox sub Dersauia in humero tactus, & vulnera reportasti, & portas adhuc plumbeos globulos, non leue Polonici roboris inditium, siue ne crederes, Polonos immenso virtutis tuæ fulgore, quasi solis radio percussos, & visu orbatos, vti iactabas, frontem auertisse; vel certè vt duo membra in te vno non leuiter tacta sentiret, qui duo potentissimi Regni membra impudentissime cruenta.

Sed ad Hollandos mea pergit Oratio, qui ex Amstelrodamensi mercatu, vbi de diuēdendis Halecibus licitatores esse, quos Itali Sensales vocant, consueuerant, in speciem quasi arbitri pacis à Gustavo in Regiam Domum euocati, insueto fastu gloriosissime exultabant. Interea huiusmodi gloria, quam posteritati commendabunt, cōtenti, dum vni parti nimis ambitiose fauent; ex altera quam amissa commertia in Gedanensi Portu, quod magis intererat, restituerent, sædulo explorabant. Reuera panem sibi, magis quam pacem alijs, quam procul à se iampridē eliminant, appetentes, Gedanensis horrei rimulas, si qua aditus pateret, diligentissime rimabantur; Neutralitatem verò Confæderato suo ab Amicis Ciuibus vsque, precibus efflagitabant. Sed nil valuit penes fidelissimam Ciuitatem ius amicitia, nil tuæ fraudes, quas huiusmodi Rebellium legatione, Rebellis Princeps ordiebaris. Venerat iam vsque Varsauiam amplissima hæc Mercatorum legatio, & cum titulos secum non afferret, titulatam viri maris æstu indigestam tantæ tractationis Massam præ stomachi imbecillitate, euomentem, Hamburgi relictam.



excusabat. Regem hic affectata Oratione, in qua pacis  
 osores, pacem pleno ore prædicabant, salutaturi, diuti-  
 us detinere: mox detectionem capitis coram tanto Re-  
 ge, tamquam in aura Rebellibus insalubri, sibi pernicio-  
 sam causati, reuera vt Campiductorem belli occasionib'  
 intentum oportunius præpedirent, Regem ad castra præi-  
 uere. Ibi humaniter excepti, hospitaliterque tractati,  
 occasionem tibi dedere pomeridianæ illius emissionis,  
 qua cum inter epulas confusa omnia, atque indisposita  
 sperabas, explicari ocuis Polonorum signa, aperiri cam-  
 pum, pandi aciem, stupidus, siue otiosus spectasti; donec  
 recedente sub noctem nostro milite vnicam Campiducto-  
 ris aciem, vel alteram toto tui exercitus impetu es aggres-  
 sus. Porrò quantum in vnus equi captura triumphas.  
 Hoccine est campum dare? Hoccine est fortia pectora,  
 bellicum robur, generosos ad decertandum animos expe-  
 riri? Isequere potius Mauritianam Scholam, & si trium-  
 phare vis, tuis te caueis include, & Polonis plane victori-  
 bus pugnae alcem nega. Interim ite Poloni, & astutam  
 Vulpeculam infesto Succia non suæ fumo, è Prussiae fo-  
 ueis, ac latebris educite, vel melius vestrorum Cosacco-  
 rum excursionibus, quod sæpius potuistis ad famem, ad  
 inedia[m] ita compellite, vt in ijsdem latebris miserè con-  
 tabescat. Affuit mox in castris Rex Cæsariano milite cir-  
 cumuallatus; Gustauus vero Hollandorum tractatione  
 tamquam meliori præsidio tutus, pugnam detrectabat Hi-  
 veluti tantarum tractationum ignari, nonnisi Commissa,  
 riorum propositiones erecto inter vtrosque tentorio, vl-  
 tro citroque portabant; donec tandem tantæ Legationis  
 titulo inflati, quamuis exitu inglorij tractationem remise-  
 re. Sic

PALINODIA.

re. Sic æstas tota tractantibus Hollandis ad Gustavi Vi-  
ctoriam, cum non vinceretur, elapsa.

Hæ sunt demum ingloriæ Victoriæ tuæ; hi inanes  
triumphi, quos, si saperes, odisses, cum veluti nulla vir-  
tutis gloria suffulti, ab ijs solummodo, qui Gustavianæ  
Domus fælicitati maximè invident extollantur. Nullibi  
enim melius seu libentius adulantur invidi, quam vbi su-  
as per adulationes odia Magnatum excrescere, diuidi Re-  
giam Domum, fluctuare Regna, denique Regum omnem  
labefactari dignitatem, siue potentiam vident. Propter-  
ea fælix Austriaca Domus stat, æternumquæ stabit, donec  
adulatores huiusmodi rixas, atque odia in Aula Regia,  
diffeminantes à se longissimè amandarit: siquidem pluri-  
mi inter modernos huius fælicissimæ Domus oppugnato-  
res inuenirentur, qui dummodo huiuscemodi in eadem,  
conflagrarent odia, arma, milites, exercitus vltro amicè  
in speciem fauentium vni parti suppeditarent, thesauros  
suos abunde proferrent, sanguinem latè effusum, Prouin-  
cias deuastatas gratularentur. Vnum ergo restat, quod  
te moneam Princeps, si humanus es, si Gustavianus es,  
Regem, quem Cæsar Fratrem ambit, tu tuum agnosce,  
gloriosissimum Principem, cæterosque Nepotes tuos, ve-  
rè Regiam virtutis indolem amplectere, denique amicos,  
ac Confederatos tibi redde, quos vbique laudatos vidisti,  
tamquam Moscorum debellatores, Tartarorum domito-  
res, Turcarum victores, dicam Amplius, cæli defen-  
sores. Quibus demum auxiliantibus, nisi velis de Dano,  
tuorum maiorum cædibus cruentato, & ex præsentì so-  
lum calamitate tibi deuoto, oportunæ vlcisci; saltem  
poteris Moscorum, siue Turcarum (communes enim ho-  
stes sunt)

14  
PALINODIA

stes sunt ) latè fines ingredi, ibique vera virtute, noua,  
seu veteri pugnandi arte, certe nouis tibi, ac Gustauiano  
generi. partis Imperijs gloriosissimè triumphare. Trium-  
phos verè foelicissimos, præclaras victorias æterno glo-  
riæ classico prædicandas, & ad omnem retro-  
mittendas posteritatem.



Z BIBLIOTEKI  
SEMINARIUM  
SANROMIENSKIEGO